cerebri ſpiritus, ſenſoriumque commune delato, & ibidem à mente percepto, profectus.

Hæc, pro organorum ſenſoriorum & objectorum ſenſibilium varietate, *eſt varia*: alia enim eſt voluptas, quæ ex jucundo objectorum viſibilium viſu; alia quæ ex aliorum ſenſibilium grato ſenſu oritur. Potiſſima autem ſenſitiva *voluptas* eſt *tactilis*, quæ ex tangibilium jucundo tactu, hoc eſt, citra læſionem forti, proficiſcitur, & *titillatio* vulgo dicitur, quippe quæ fortius nos afficit, & pluribus partibus competit.

Voluptas ſenſitiva, præ cæteris voluptatibus, hominem quam maximè afficit, ſpirituſque in cerebro ita determinat, ut illi convenientiſſime per totum corpus diffundantur; atque ideo, niſi negligentiam aliarum rerum pariat, *omnes hominis actiones quam maximè juvat.*

Non eſt autem pretereundum, ad dolorem & voluptatem ſenſitivam pertinere, ubi citra judicium, à ſolo ſpirituum motu, ab aëris vel ſanguinis bona temperie excitato, aliquando nos ſolito alacriores ac hilariores, vel languidiores & mæſtiores ſentimus.

XXI. Atque hæc de affectibus perceptionis, *ſequuntur judicii*: Lætitia ſc. & triſtitia.

Lætitia eſt voluptas, ex judicio rei gratæ orta.

Triſtitia eſt dolor, ex judicio rei ingratæ natus.

Pro ut autem res, quas gratas vel ingratas judicamus, ſunt variæ, ita hi *lætitiæ vel triſtitiæ affectus variis* gaudii vel mœroris; ſpei vel metus; beneficentię vel irę; miſericordię vel inſultationis; favoris vel invidię; glorię vel pudoris; conſtantię vel pœnitentię; promptitudinis vel fluctuationis; congratulationis vel zelotypię; lętę vel triſtis admirationis, æſtimationis, vel cotemtus; item deſiderii vel hilaritatis; aliiſque *nominibus deſignari conſueverunt.*

Gaudium eſt lętitia ex judicio boni acquiſiti.

Mœror eſt triſtitia ex judicio mali, quod ſumus nacti.

Uterque affectus, ſi ſubitus & vehemens fuerit, *hominem ſubito poteſt occidere.* Ille; dum ſanguis nimis copioſe; in cor, ſubito nimis dilatatum, ſubito ingreſſus, & ibi, ob nimiam copiam incendi ne-